DISPUTATIO JURIDICA

De

CONCURSU ACTIONUM,

Quàm

DIVINA FAVENTE GRATIA

Sub Præſidio

Dn. LEOPOLDI HAKELMANNI

J. U. D. necnon Juridicæ Facultatis Ordinarij, &c.

In florentiſſimo Academiæ Lipſienſis Lyceo, examini publico proponit,

NICOLAUS GEBHARDI à MILTITZ. Eq. Thurin.

Ad diem 29. Octobr. horâ locoq; conſuetis.

LIPSIÆ, Typis NERLICHIANIS.

Excudebat JUSTUS JANSONIUS Danus.

ANNO Chriſti M. DC. XIIX.

270

Magnificis, Nobiliſſimis atq; Eminentiſsimis Viris

Sereniſsimi Elector. Saxoniæ Conſiliariis intimis ac primoribus

DN.

CASPARO à SCHÖNBERGK in Pälßnitz & Sürick/ꝛc. Judicii ſupremi Appellationum Præſidi digniſſimo,

NEC NON

DN. WOLFGANGO à LÜTTICHAU in Kmelen/ꝛc. Vice-Cancellario, & Judicii Appellationis Adſeſſori meritiſſimo.

Dnn. Patronis ac Fautoribus ſuis ſummò ſtudio perpetim proſequendis

Hanc de concurſu Actionum diſputationem

Offert & Exhibet

NICOLAUS GEBHARDI à Miltitz. Reſpond.

Thema I.

Cùm non ſolùm haud nullius momenti res ſit ſcire, probeque exploratam habere cujusq; actionis vim & naturam, (*a*) earundemq; rectè inſtituendarum formam ac modum: quin etiam ſi circa unam eandemq; rem de Jure plures compe-tant actiones, omnibus an unâ illarum experiri liceat, non ignorare permagni interſit (*b*) viſum fuit inſignem ac nobilem hanc de Concurſu Actionum tractationem ſuſcipiendam eſſe, ut quæ ſparſim (*c*) in Jure Civili de eo extent, vel uno intuitu cuivis pateant ac obvia ſint.

(a) Quippe cum in univerſo Juris ſyſtemate nihil penè reperiatur, ad hanc de Actionibus doctrinam ceu ſcopum unicum ac ultimum quod non collimet. Unde etiam benè magna Interpretum caterva hujus Juris partis vel ſolius diligentem & aſſiduam lectionem ad bene fundatam Jurisprudentiam conſequendam, & ad regimen orbis obtinendum ſufficere prædicarunt. Verùm de utilitate ac præſtantia hujus materiæ multa verba facere, hujus loci non eſt.

(b) Non enim ſemper omnes unius ejuſdemq; ſunt qualitatis ac conditionis, ſed una gravior duriorque nonnunquam exiſtit altera; ita ut per Tribonianum ſacratiſſimus noſter Imperator Juſtinianus, ſtultiſſimum illum appellitet, qui, ſpretâ ejuſmodi actione

qua de facili ſuum conſequi poſſit, ad deteriores difficilioreſq; decurrat. §. *Cæterum 5. Inſt. Quod cum eo qui in alien. poteſt. eſt neg. geſt. eſſe dic. l. Aliquando. 11 ff. de Tribut. act.* Qua de re etiam JCtus Cajus fideleacturis conſilium ſuggerit *in l. is qui deſtinavit 24. ff. de Rei vind.* monendo, ex duabus actionibus inſtituendis, nunquam non eligendam eſſe eam quæ commodior & expeditior actori ſit futura. Cui ſententiæ quoq; ſubſcribere videtur Papinianus *in l. cum fundum 18. §. ult. ff. de vi & vi arm.*

(c) Varijs ac diverſis in locis JCti hunc Juris articulum pertractaſſe conſpiciuntur. Et quidem Ulpianus *in l. in heredem. 5. §. 1. & l. Metum autem 9. §. licet. 6. ff. Quod met. cauſ. l. ſi quis libertatem 7. ff. de heredit. pet. l. ſed etſi 5. §. 1. ff. Ad. L. Aquil. l. ſi ſervus ſervum 27. in pr. ibid. l. ſi quis teſtamentum 41. ff. eod tit. l. Neratius 11. §. Quamvis 2. ff. de ſerv. corrupt. l. ſi pro fure 7. §. furti autem 1. ff. de cond. furtiv. l. unde quæritur 7. §. ſed ſi 1. ff. commod. l. ſed ſi pupillus 11 §. ſi inſtitoris 7. ff. de Inſtit. act. l. Quod in herede 9. §. eligere 1. ff. de Trib. act. l. ſi actum. 43. l. rei communis 45. l. ſed ſi ex cauſa 47. l. ſi hæc facto 49. ff. pro ſoc. l. Non eſt novum 10. ff. de Act. Empt. l. 1. §. in tutela 21. & 22. ff. de Tut. & rat. diſtrah. l. 1. §. quia 4. ff. Quod legat. l. antefin. ff. de Oblig. & Act. l. Nunquam 2. ff. de Privat. delict. l. Nemo 41. verſ. Quotiens ff. de Divers. Reg. Jur. l. Nunquam 130. ff ibid.* Paulus *l. In delictis 4. §. cum dominus 2. ff. de Nox. act. l. Pro ſocio. 38. §. ſi tecum 10. l. Idem eſt 46. l. ſed nihilominus 48. l. ſed actione 50. ff. Pro ſoc. l. Actione 2. ff. de Tut. & rat. diſtrah. l. Paulus 31. ff. de Except. rei jud. l. Qui ſervum 34. ff. de Oblig & Act. l. Quotiens 41. §. 1. ff. ibid. l. Inter ſtipulantem 83. §. ſi rem. 6. ff. de verb oblig. l. ſi quis egerit 80. ff. de Furt. l. 1. l. Facienda 8. §. igitur ſi. ff. Arb. furt. Cæſ. l. 1. ff. vi. bon. rapt.* Julianus *in l. Judicium 9. ff. Fin. reg. l. Fundus 51. §. 1. ff. Fam. herciſc. l. ſi is qui 18. ff. de Oblig. & Act.* Cajus *in l. ipſi tamen 3. ff. Teſtam. quemadm. aper. l. ſi pignore 54. §. cum furti actio 3. ff. de Furt. l. ſi Colonus 9. ff. Arb. furt. Cæſ.* Tribunianus *§. liberum 11. Inſt. de Leg. Aquil. §. in ſumma 10. Inſt. de Injur. §. Cæterum 1. Inſt. Si quadrup. paup. feciſ. dic. it.* Modeſtinus *in l. plura delicta 53. ff. de Oblig. & Act.* Hermogenianus *in l. cum ex uno 32. ff. de Oblig. & Act.* Marcianus *In l. rerum quidem 25. ff. Rer. amot.* Papinianus *In l. de ſervo 9. ff. de calumn.* Calliſtratus *in l. ſi de. 37. ff. de Judic.* Principaliſſima tamen totius hujus tractationis ſedes eſt in lege alleg. Qui ſervum

34. ff.

34. *ff. de Oblig. & Act.* cujus autor JCtus eſt Paulus, qui peculiarem de Concurrentibus Actionibus librum conſcripſiſſe dicitur: qui tamen rurſus hominum injuria poſtmodum interiit.

II.

Et ut ab eo quid res ſit auſpicemur,(*a*)Concurſum (*b*) Actionum (*c*)nihil aliud eſſe dicimus, quàm ſi uni adverſus eundem (*d*) circa rem eandem (*e*) duæ pluresve (*f*) competunt actiones, de quibus eſt quæſtio, an vel omnibus vel unâ quis experiri poſsit. (*g*)

(a) Cùm omnis ſecundum Ciceronem *lib. 1. Offic.* quæ à ratione ſuſcipitur de re aliqua inſtitutio à definitione proficiſci debeat; ut intelligatur quid ſit id de quo diſputetur. Quam ſanè rerum tractandarum methodum accuratè etiam obſervaſſe JCtos non uno in loco videmus. Ulpianum *in l. 1. in pr. ff. de Juſt. & Jur. l. 1. ff. de Procurat. l. 1. ff. Precario. l. 1. ff. de Novat. l. 1. ff. de Prævaric.* Modeſtinum *in l. 1 ff. de Teſtam. l. 1. ff. de Re Jud. l. 1. ff. de Duob. reis conſtit. l. 1. ff. de Accept lat.* Paulum *l. 1. ff. de in Jus voc. l. 1. ff. de tut. l. 1. ff. de oper. libert. l. 1. ff. de ſtat. liber. l. 1. ff. de Popul. Act.* Florentinum *l. 1. ff. de ſponſal.* Celſum. *l. 1. ff. de Reg. Caton.* Marcianum. *l. 1. de Mort. cauſ. donat.* Tribonianum. *pr. Inſt. de Leg. pr. Inſt. de Act. &c.*

(b) Concurrere ergo dicuntur actiones, non ſolùm cùm una in judicium ſit deducta, altera integra ut maneat *l. Non eſt Novum. 10. ff. de Act. Empt.* ita ut omnibus ſeparatim ſit utendum. *l. cum ex uno delicto 32. ff. de Oblig. & Act.* quin etiam ex pluribus una ſi electa ſit, cæteræ vel minuantur vel in totum perimantur *l. Qui ſervum 34. ff. de Oblig. & Act. l. Plura delicta Eod. tit. l. Nemo ex his §. quotiens 1. ff. de Reg. Jur.* Cumulari autem actiones dicuntur, quando duæ vel plures eodem libello uno tempore ſimul intentantur. Veluti ſi de Petitorio & Poſſeſſorio quæritur utrum unô libellô ſimul contineri poſſint.

 (c) Actionis

272

(c) Actionis vocabulum quamvis aliàs generice ſignificet omnem omnino hominis actum, ſive is in judicio *l. Actus legitimi 77.ff.de Diverſ.Reg.Jur.*ſive extra judicium expediatur. *Authent.Hoc jus porrectum. C. d. S S. Eccleſ.*Specialiter tamen reſtringitur ad eas ſaltem actiones,quæ in judicio fiunt ratione alicujus præcedentis cauſæ legitimæ, quæ actum hunc forenſem permittit vel fieri jubet, ſive illæ actiones in rem ſint ſive in perſonam,*l. Actionum genera. 25.ff.de Oblig.& Act. l. Actionis verbo 37.ff. eod. tit. l. ult.C. de Hered. vel act.vend.* Atque hæc actionum ſignificatio hujus loci eſt propria. *l. Nihil aliud 51. ff. de Oblig. & Act. pr. Inſt. de Act.*

(d) In illis verò caſibus ubi in eadem re, qua de contractum vel quaſi contractum eſt, aliquid à tertio admiſſum fuit, cujus nomine plures dantur adverſus plures, actiones, quarum una electâ ad alteram regreſſus nullus datur, *prout eſt exemplum in §. Quæ de fullone 16. Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſc. l. Et ita de facto. 3. §. Noviſſime fin. ff. Naut. Caup Stab.* aut ubi plura judicia uni ex diverſis admiſſis in diverſos *l. Qui re. 76. §. ſi quis 1. ff. de Furt.* Seu ubi plura judicia ob unum factum admiſſum diſtinctis perſonis in unum competunt, *ſecundum text. l. 1. §. fin. l. Pater cujus 41. ff. de Injur. §. datitur 2. Inſt. eod. tit.* Vel tandem ubi unum judicium ejuſdem admiſsi nomine uni in diverſos proditum eſt, *l ſi per alium 5. §. hoc judicium 3. ff. Ne quis eum qui in jus vocab. vi exim. l. Item Mela. 11. §. Sed ſi plure 2. & 4. ff. Ad Leg. Aquil. l. ſi quis id. 7. §. fin. juncta lege proximâ. ff. de Jurisd. omn. jud. l. utiq; 21. ff. de Liber. cauſ. l. 1. §. fin. ff. ſi quis teſtamento liber eſſe juſſ. fuer.* hæc noſtra poſitio minus locum habebit.

(e) Ad diverſas etenim res perſequendas,plures easque diverſas competere actiones, nec alterâ alteram exanimari extra omnem controverſiam eſſe nemo neſcit. Quamobrem abſurdum eſſet, dici eum, qui res diverſimode deberet cum unam ſolverit, alterius quam non ſolvit, præſtatione liberari. Sic quoque ſi debitor obligatus ex Emto venditori in centum, eundem certò honoravit legatô: heres defuncti præſtando legatum, debito centum ex emto ſolvendorum, haud quaquam ſe eximit. Idem eſt, ſi propter mutuam pecuniam eidem debitori datam in poſteriori obligatione

prioris

prioris mentio à creditore ſit neglecta. *Per leg. expreſ. l. Lucio Titio 29. ff. de Oblig. & Act. & l. ſi is qui Stich. 18. ff. Eod. tit.*

(f) Namque non in eum finem actionum pluralitas agentibus communicatur, ut ſeparatim omnium commodô ſemper ſit utendum, ſed ut largior ac uberior ſuppetat agendi facultas *l. cum filius 76. ff. varijs ff. de Leg. 2. l. ſi ſervus legatus 108. §. cum homo 2. ff. de leg. 1.* unamque ex multis ad idem competentibus eligendi, quam quis exercere velit, adſit copia. Cùm ſæpenumero contingat, ut agentibus conducat potius hac quàm illa actione experiri, *§. fin. Inſt. Quod cum eo qui in alien. poteſt. eſt neg. geſt. eſſe dic.*

(g) Ita ut una alteram, vel quo ad partem vel in totum conſumat. *l. qui ſervum 34. ff. de Oblig. & Act. l. 1. ff. vi bon. rapt. l. 1. Arb. furt. Cæſ.* Conſumi autem tum demum actio dicitur, ſi una ex multis ad idem ſpectantibus ſit electa, *per l. in delictis 4. §. cum dominus ibi.* Unà autem pœnâ exactâ quam actor elegerit, altera tollitur, *ff. de Noxal. Act. l. Quod in herede. 9. §. 1. ff. de Tribut. Act. ibi.* Eligere quis debet, quâ actione experiatur, *l. qui ſervum 34. ff. de Oblig. & Act. ibi.* alterâ electâ alteram conſumi, *l. ſi mulier 25. §. ſi coactus 6. ff. Quod met. cauſ. ibi.* Quam viam ego elegerim hæc mihi pateat. Quibus adſtipulatur Jus Codicis, *in l. Ancillæ ſubtractæ, 12. C. de Furt. & ſerv. corrupt. ibi.* Cum altera pœnam continens alterius electione minimè tolli poſſit. Quam tamen electionem non in nuda ac ſimplici mentis conceptione acquieſcere definimus, ſed ſi electa poſtmodum in judicium ſit deducta, *ſi is qui Stichum 18. ff. de Oblig. & Act. l. Generaliter ſ. §. ſi reus ſtipulandi ff. de Fidejuſ.*

IIV.

Ut autem totius hujus doctrinæ commodior ſuſcipiatur tractatio, luculentiorque appareat intellectus, multum intereſſe judicamus, (*a*) concurrentes invicem actiones, quales ſint, utrum in Rem, an verò in Perſonam. (*b*) De quibus ſingillatim videbimus.

(a) Actio-

([a]) Actiones etenim inquit Paulus *in l. Et an eadem. 14. §. actiones 2. ff. de Except. rei jud.* in perſonam ab actionibus in rem hoc differunt, quod cum eadem res ab eodem mihi debeatur, ſingulas obligationes ſingulæ cauſæ ſequuntur, nec ulla earum alterius petitione vitiatur. At cum in rem agitur, non expreſsa causa ex qua rem quis ſuam eſſe dicit, omnes cauſæ una petitione apprehenduntur. Neque enim amplius quàm ſemel res mea eſſe poteſt. Sæpius autem deberi poteſt.

([b]) Quæ quid ſint, quibusve ex cauſis deſcendant, traditur *in l. Actionum genera 25. ff. de Oblig. & Act. & §. 1. Inſt. Ibid. ubi communiter Dd.*

IV.

Et quidem primùm actiones reales quod ſpectat, de ijs invicem circa rem eandem concurrentibus hoc expeditum eſt, quod una earum inſtituta, in totum ſuffocet alteram.

Ratio 1. quia dominium ſemel acquiſitum, eſt perfectum, cujus pefectio nullam amplius patitur acceſsionem: quodq; ſemel noſtrum eſt, amplius noſtrum fieri nequit *§. ſi res aliena 6. Inſt. de leg. &. l. & in eadem. 14. §. actiones 2. ff. de Except rei judic. §. ſi itaq; diſcretiu 14. Inſt. de Act. l. Nemo rem ſuam 87. ff. de verb. Oblig. l. cum res 4. C. de Contrab. Empt. Vend.*

Sanè poteſt quidem res una & èadem ex pluribus cauſis nobis deberi, *l. Plane 34. §. ſed ſi duorum 2. ff. de leg. 1. l. locum habet. 3. §. inde quæritur 15. ff. de tab. exhib. l. Non eſt novum 10. ff. de Act. Emt. l. ſi is qui 18. ff. de Oblig. & Act. l. Hereditas 3. C. de Petit. hered.* ita ut ſi ex una cauſa quis egerit ac ſuccubuerit, ex altera poſtea experiri haud prohibeatur. *d. l. 14 ff. de Except. rei jud. l. Eum qui 14. C. de inoff. teſtam.* Sed non poteſt idem ex cauſis pluribus eſſe noſtrum. *l. Non ut ex pluribus 159. ff. de diverſ. Reg. Jur.* quippe cum dominium non niſi ex una cauſa contingere dicatur. *l. Poſſideri autem 3. §. ex pluribus 4. ff. de acquir. vel amitt. poſſ.*

II. Accedit authoritas JCti præcellentiſsimi Ulpiani, *in l. Nemo 43. verſ. quotiens ff. de diverſ. Reg. Jur. ibi.* Quotiens concurrunt

runt plures actiones ejuſdem rei nomine una quis experiri debet. Hac ratione, ſi mihi & tibi una eademq; res ſit legata; deinde poſtquam dies legati ceſſit, heres tibi exiſtam, duæ mihi pro nanciſcendo legato competunt vindicationes, una ex proprio; altera ex teſtamentario legato. Utriusque tamen commodó uti mihi non licet, ſed ſi ex alia rem legatam fuero conſecutus, ex altera eandem petere haudquaquam valeo, *l. ſi mihi & tibi 12. ff. de Leg. 1.*

Gravis autem hoc loco ſed quotidiana diſcutienda venit quæſtio: Utrum Publiciana in rem actio, quæ eſt prætoria, concurrere poſſit cum civili rei vindicatione? Multi & quidem ad unum fere omnes quamvis negativam adſtruere ſatagant: affirmantium tamen caſtris nos devovemus, vel hoc unicó fundamentô moti; quod in domini repoſitum ſit arbitrio, utra illarum adverſus facultatem reſtituendæ rei habentem pro recuperanda ea, experiri malit. *Textus non eſt obſcurus in l. Sed etſi res 7. §. ſi petenti 7. ff. de Publ. in rem act. cap. Abbate 3. X. de ſentent. & re judic.*

V.

Si verò concurrat cum perſonali rei perſecutoria, in conſiderationem venit, actiones an ex eadem cauſa circa eandem rem, unum reſpicientes finem (*a*) an verò diverſis & pluribus ex cauſis ad unum (*b*) vel diverſos ſpectantes fines (*c*) deſcendant. Illô modô fit conſumtio: Hoc, quoad prius: quoad poſterius verò minimè.

(a) Ratio, quòd contra bonam ſit fidem, ut quod ſemel exactum eſt, denuo exigatur *l. bona fides 57. ff. diverſ. Reg. Jur.* Sic legatarius eo gaudet jure, ut ad conſequendam rem ſibi legatam & realis videlicet Rei vindicatio & Perſonalis ex teſtamento ſc. actio competat. *§. 2. Inſt. de Leg.* harum unam ſi intenderit, facit alteram obmuteſcere: ob rationem quod utraque ad legati præſtationem,

atq; ita ad eandem rem ſit directa; quodve legatum datum in partes dividi nequeat, *l. cum filius 76. §. variis actionibus 8. ff. d. Leg. 2.*

(b) Veluti, ſi Titio ſervus Sempronianus ſit commodatus, duæ naſcuntur domino ad repetendum eum actiones; una quæ eſt in perſonam nimirum commodati altera quæ in rem eſt videl. vindicatio, *l. officium autem 9. ff. de Rei Vindic. arg. l. rei commodatæ 5. & ſeq. ff. commod.* quarum illa ex obligatione: hæc verò ex dominio, atq; ita ex diverſis cauſis reſultant. *l. Actionum genera 25. ff. de Oblig. & Act.* Verùm cum utraq; unum ſibi habet finem propoſitum, ſervi videlicet commodati perſecutionem, æquitas ſuadet, ut unâ earum intentatâ, altera nullo amplius ſit numero. Idem eſt, ſi cum rei vindicatione actio rerum amotarum, *l. ob res amotas 25. ff. de Act. rer. amot.* vel condictio furtiva concurrat, *l. ſi pro fure 7. §. furti actio 1. ff. de condict. furtiv.* ſicuti nec admodum diſſimilis caſus extat. *in l ſi cum venderet 13. ff. de Pign. act.*

(c) Exempli cauſa. Petitorium judicium ſeu rei vindicationem cum Poſſeſſorio concurrere poſſe interdicto, haud incerti eſt Juris. *l. Exitus 35. ff. de acquir. vel amit. poſſeſ. l. Ordinarij 13. C. de Rei vindic. l. Incerti Juris 3. C. de Interd. l. Naturaliter 12. §. nihil. commune 1. ff. de Acquir. vel amitt. poſſeſ. l. cum fundum 18. § 1. ff de vi & vi arm.* Aſt, qnoniam utraque ex diverſis naſcuntur cauſis, illud videlicet ex dominio, *l. in rem. 13. in pr. ff. de Rei vindic. juncta l. 9. ibid l. ſi mancipium 23. C. Eod. tit l. ſi de vi 37. ff. de Judic. §. 1. & 14. Inſt. de Act.* hoc verò ex poſſeſſione. *Pr. Inſt de Interd. l. is qui deſtinavit 24. ff. de Rei vind. l. Et an eadem 14. §. fin. ff. de Except. rei jud.* nec unus idemque illornm ſit finis, conſequens erit, quod hæc judicia invicem haudquaquā miſceantur, *l. cum fundum 18. §. Eum qui ff de vi & vi arm.* Aliud exemplum eſt, ſi cum Rei vindicatione concurrat actio perſonalis ad exhibendum *l. 1. & 2. §. eſt autem 3 ff. Ad exhibend. l. ipſi tamen 5. ff. Teſtam. quemad. aper.* quæ illius præparatoria appellatur. *l. 1. in pr. ff. de priv. del. argumento d. l. 3. §. ſi mecum 11. ff. ad exhib.*

VI.

Illud certum eſt, quod actio mera pœnalis realem haudquaquam conſumat: nec vice verſa hæc per illam abſorbeatur.

Idque

Idq; propterea, quod ambæ ad diverſa tendant; una quidem ad rei, *l. 1. ff. de Rei vindic.* altera verò ad pœnæ conſecutionem, *l. ſi pro fure 7. §. furti actio 1. ff. condict. furtiv. §. Ex maleficiis 18. Inſt. de Act.* Quamobrem cùm in odium furum plures actiones de Jure ſint proditæ, *§. ſiturq; differetis 14. Inſt. de Act.* ſi coujungatur cum rei vindicatione actio furti pœnalis adverſus furem, *l. ſi pro fure 7. ff. de condict. furtiv. §. furti actio Inſt. de Oblig. quæ ex del. naſcunt*, neutra alteram extingvit, ſed utraq; ſalva remanet, *dd. LL.* In ſimili, depoſitarius ſi depoſitum ſervum in deponentis contumeliam injurioſè percuſſerit, non ſolum injuriarum actione pulſari poteſt, quæ ſimpliciter vindictam perſequitur, *l. cum Emancipati 2. §. Emancipatus 4. ff. de Collat.* quinetiam præter ipſam, rei obnoxius eſt vindicationi: cum depoſitæ rei proprietas penes deponentem maneat, *l. licet deponere, 17. §. 1. ff. Depoſiti*, nec depoſitarius altera condemnatus, alterâ liberabitur. Ita quoq;, ſi quis alicujus prolem in ſacris paternis adhuc conſtitutam, vel vinctam habuerit, vel alio modo celaverit, aut retinuerit, in duplex incidit judicium, Rei vindicationem videlicet, ſi adjectâ causâ EX LEGE QUIRITIUM proles à parente vindicetur, ipſam ut reſtituat, *l. 1. §. per hanc autem ff. de Rei vindic.* & in crimen Legis Fabiæ de Plagiariis, quod cum meram complectatur pœnam, *l. fin. ff de L. Fab. de Plag.* anterius haudquaquam excludit, ſicut verò nec illud hoc.

VII.

Cæterùm realis actio ſi in concurrendo aſſocietur mixtæ, quoad rei perſecutionem una alteri præjudicat: non verò quatenus quoad pœnam mixta opulentior eſt reali.

Incivile namq; eſſet, nullaque ratione probandum, ſi id quod una perceptum eſſet actione, viciſſim aliô efflagitaretur judiciô: vim enim maximam bonæ fidei inferre intelligitur, bis idem, qui exigere ſtudet, *l. bona fides 57. ff. de Reg. jur.* Proinde ſi primum inſtituta fuerit mixta, realis per illam omnimodo conſumitur, quia rei perſecutio mixtæ ineſt actioni unde qui actione mixta egit, rem

conſecutus eſſe dicitur, *l. Qui ſervum 34. ff. de obligat. Act.* Sin verò prius reali actum fuerit, cum rei perſequendæ reſpectu una eademq; utriusque vis eſt mixtam eatenus, quatenus rem complectitur, opprimit: quatenus verò quid ſupereſt, ſalva permanet Rem exemplis illuſtrabimus. Si quis alterius rem rapuit, quæ adhuc penes raptorem ſit, domino rei duplex in raptorem datur judicium, unum reale, nimirum Rei vindicatio, cum per rapinam dominium abeſſe domino non incipiat, *l. prætor ait 2. §. in hac actione, 22. ff. vi bon. rapt. §. fin. Inſt. eod. tit. argum. §. fin. Inſt. de obligat. quæ ex delict. naſcunt*: alterum mixtum vi bonorum raptorum videlicet. Quod ſi jam prius egerit dominus vi bonorum raptorum, penitus expirat rei vindicatio: cùm idem quod in rei vindicatione eſt, jam per mixtam ſit adeptus: Sin verò prius intentaverit rei vindicationem, vi bonorum raptorum in totum non perimitur, ſed adhuc in id, quod amplius in ea eſt, ſupereſt. *l. 1. ff. vi bon. rapt.* Idem judicium eſt, ſi ex altera Edicti parte, Nautæ, Caupones, ſtabularii, actio in factum, quæ in duplum eſt, cum rei vindicatione coambulet. *l. debet exercitor 7. §. hæc actio 1. ff. Naut. caup. ſtab. l. ſi quis abſenti 5 §. idem exercitor fin. de Obligat. & Act.* Per furtum etenim domino rei ſubreptæ dominium non aufertur, *l. 7. §. 1. ff. de cond. furtiv. §. ult. Inſt. de obligat. quæ ex del. naſc.*

VIII.

Mixta verò talis quæ fieri poteſt arbitraria cum reali convolans, invicem confunduntur.

Sive enim hac ſive illa prius actum fuerit, altera ab altera occiditur. Idq; propterea, quòd in arbitrariis actionibus ultra id quod in judicium deductum eſt, reus prius condemnationem non patiatur, niſi contumacem ſe præbuerit, judicisq; juſſui ante ſententiam interpoſito non paruerit, *l. Item ſi 14. §. in hac actione 3. & ſeq. ff. Quod met. cauſ.* Unde efficitur, quòd ſi rei vindicatio cum actione quod metus cauſa in factum concurrat, una per alteram finiatur, *l. metum autem 9. §. licet tamen 6. ff. Quod met. cau.* Etenim ſi vim paſſus egerit reali judicio, eoq; quod petiit, fuerit conſecutus, reſiduum triplum, quod loco pœnæ eſt, (quadruplabitur autem omne quodcunq; reſtitui oportet, *l. Item ſi 14. §. ſi quis 1. ff. Quod met. cauſ.*) hac in factum actio-

actione, quod metus cauſa petere non audet. Nec quoq; adhuc vigebit realis actio, ſi is, cui per metum res extorta eſt, rem per hanc prætoriam actionem receperit, nullo habito diſcrimine, ſive reus in quadruplum intra annum ex contumacia, ſive poſt annum in ſimplum ſit condemnatus, cum nihil actori abſit, quo de conqueri poſſit, *d. l. Item ſi 14. §. 1 d. l.*

IX.

Viſo hactenus reales actiones, quô pactô & inter ſe & cum perſonalibus concurrant: reſtat, ut de perſonalibus ſolùm quid ſtatuendum diſpiciamus. Hæ cum triplicis ſint conditionis, (*a*) vix erit, ut omnes ſub eadem conſtituantur diſpoſitione.

Earum enim quibuſdam rem perſequimur, ut ſunt actio ex ſtipulatu, commodati, depoſiti, mandati, pro ſocio, ex empto, vendito, locato conducto, *§. rei perſequendæ 17. Inſt. de Act.* nonuullis pœnam, ut eſt actio furti, *§. ex maleficiis 18 Inſtit. de Act.* actio in factum ex Edicto ne quis eum qui in jus vocabitur, vi eximat, *l. ſi quis alium 5. §. 1. & 3. ff. Ne quis eum qui in jus vocab. vi exi.* Actio de albo corrupto, *l. ſi quis 7. ff. de jurisd. omn. jud.* Actio injuriarum, *l. cum emancipati 2. §. Emancipati 4 ff. de collat.* aliquibus & rem & pœnam, quæ mixtæ appellantur, prout eſt actio vi bon. raptorum *l. 1. ff. vi bon. rapt.* Actio arborum furtim cæſarum, *l. 1. ff Arb. furt. cæſ.* Actio legis Aquilæ, *l. ſed & ſi ff. ad L. Aquil.* & plures aliæ de quibus paſſim in Jure noſtro. Cum igitur ſingulæ ad ſingulòs fines ſint directæ (id quod apprimè in hujus tractatus disquiſitione erit obſervandum) diverſæ quoq; ut tradantur regulæ, neceſſitas efflagitat.

X.

Quocirca de perſonalibus rei perſecutoriis invicem concurrentibus ita breviter ſtatuere oportet, quòd una earum intentata, altera quoque

276

ſi ex una deſcendat cauſa, evaneſcat: (*a*) ſin ex diverſis & pluribus neutra alterius petitione ſubvertatur. (*b*)

(a) Atteſtante id JCto Modeſtino *in l. Plura delicta, 53. ff. de Oblig. & Act.* (ibi. Nam ſi ex una obligatione plures naſcuntur actiones, una tantummodo, non omnibus eſt utendum.) Nec non Ulpiano *in l. Nemo 41. §. 1. ff. de diverſ. reg. jur.* (ubi generalis traditur regula, una quem experiri debere actione, quoties plures actiones ejuſdem rei nomine concurrunt.) Quibus etiam aſtipulatur Paulus *in l. ſed actione 50. ff. pro ſoc.* Idq; propter vulgatam illam rationem, quod videlicet bis idem exigens contra æquitatem faciat. *Sæpe alleg. l. bona fides 57. ff. de diverſ. Reg. Jur.* Ita poſtquam aliquis contraxit in mercibus peculiaribus, Emptor ambas habet actiones, & ex Peculio adverſus dominum, & præterea actionem Tributoriam, ut tamen utramq; exercere non poſſit, quia utraq; rei eſt perſecutoria, ſed utramq; habet, ut liceat ei utrâ malit experiri. *l. quod in herede 9. §. Eligere 1. ff. de Tribut. act.* Ad eundem modum ſi pro majori fide habenda de futura emptione, annulus arrhæ nomine venditori datus ſit, & ab utraq; parte, emtio poſtmodum ſit conſummata, Emptori ad repetendũ annulum agere licet vel ex empto, vel ſine cauſa condictione. Verum quia neutra plus alterâ continet, una per alteram expirat, *l. ex emto 11. § si qui 6. verſ. Ergo illud ff. de Act. emt.* Alius caſus eſt, *in l. ſi ſervus meus 14. ff. commod.* Ampliatur autem hæc non ſolum procedere in actis & contractibus: quin etiam in maleficiis & factis circa illam ipſam rem, quæ in contractum venit, commiſſis, ſi plures rei perſecutoriæ competant. Idcirco ſi vel commodatarius vel depoſitarius utendo re commodata vel depoſita furtum committant, præter actiones ex ſingulis contractibus emergentes, & condictione furtiva propter dolum ſunt conveniendi; cumq; omnes rei perſequendæ cauſa inſtituantur, una illarum intentata, alteram enecat, *l. Qui furtum 16. ff. de condict. furtiv. l. ſi quis infitiatus 13 §. 1. ff. depoſ. l. Qui ſervum 34. §. 1. ff. de oblig. & Act.* Idq; fit vel ipſo jure ſi prius intentata fuerit actio ſtricta, ut eſt condictio furtiva, *argum. §. actionum autem Inſt. de Act.* vel per exceptionem, ſi prius fuerit mota,

quæ

quæ eſt bonæ fidei, ut eſt actio commodati vel depoſiti, *d. l. Qui ſervum 34. §. 1. ff. de Oblig. & Act. l. ſi is cui 71. ff. de furt.* Quæ tamen omnia cum hoc accepta volumus moderamine, ſc. niſi pluris noſtra interſit. *l. ſed ſi ex cauſa 47. ff. Pro ſoc. l. Prædia 18. ff. de Act. emt.* Id eſt niſi plenior ac pingvior una ſit altera: tunc enim plenior prius inſtituta, alteram quæ minus continet, ſilere facit: at ſi lenior prius exercita ſit graviorem, quoad id, quatenus in ea amplius eſt, non extingvit. Ceſſat enim tunc ratio generalis, cum non his idem, ſed aliud nempe, quod in altera pluris eſt, exigitur, *l. Quotiens 41. §. 1. ff de Oblig. & Act.* Hinc inde fit, quod actio communi dividundo non confundatur cum actione pro ſocio, quoniam pro ſocio & nominum rationem habet, & adjudicationem non admittit, ſed ſi poſtea pro ſocio agatur tantò minus actor conſequetur per actionem pro ſocio, quantum plus conſecutus eſt per communi dividundo actionem, *l. ſi actum ſit 23. ff. pro ſoc.* Nec diverſum eſt condictio furtiva ſi concurrat cum pro ſocio actione, *l. ſed ſi ex cauſa 47. ff. d. t.*

(b) Ratio: quia ſicut ex multis obligationibus res aliqua nobis deberi poteſt, *l. Non ut ex pluribus 159. ff. de diverſ. Reg. jur.* Ita quoq; multæ nobis poſſunt ad petendam eam competere actiones, quarum nulla alterius petitione vitiatur, *l. Et an eadem 14. §. Actiones 2. ff. de except. rei jud.* Nec novum eſt, ut duæ obligationes in ejuſdem perſona de eadem re concurrant, *l. Non eſt novum 10. ff. de Act. emt.* Exemplis res evadet clarior. Titium tibi vendideram ſervum meum, habita fide de pretio: ante ſolutionis præſtationem eundem à te utendum rogavi: In hujus curationem, poſtquam graviter ægrotare cœperat aliquid ſumtuum impendi. Competunt mihi ex cauſis diverſis duæ adverſus te actiones: una venditi ad petendum pretium pro ſervo: altera commodati contraria pro conſequendis impenſis in ipſius ſanationem collatis. Verum neutra ab altera tollitur, *l. ſi ſervus quem 22. ff. commod.* Pari modo, ſi uni creditori duo ſint debitores principales, quorum unus alteri heres exiſtit; heres non ſolum ex propria, quin etiam hereditaria creditori tenebitur obligatione, nec altera alteram abſorbet, *l. Generaliter 5. verſ. reum vero ff. de Fidejuſſ.* Aliud exemplum eſt, *in d. l. Non eſt novum 10. de Act. Emt. Et l. ſi is qui 18. ff. de Oblig. & Act.*

XI.

Porrò Rei perſecutoria competens cum pœnali mera, in ea cauſa ſunt, ut neutra alteri obſtet, quo minus cum unâ egerimus, liceat quoque alterâ experiri.

Ob rationem ſupra ad Theſin VII. aſſignatam, quod videlicet ſint de diverſis rebus, ac utriusq; actionis perſecutio non ſit uniuſmodi. una enim ad pœnam: altera verò ad rei perſecutionem pertinet, *§. furti actio 19. Inſt. de Obligat. quæ ex del. naſc. l. ſi pignore 54. § cum furti actio 3. ff. de furt. l. ſi pro fure 7. §. furti actio 1. ff. de condict. furt.* Hinc conſequens eſt, eum, qui coram pluribus tabulas teſtamenti apud ſe depoſitas eo animo recitavit, quo judiciorum ſecreta publicarentur; non ſolum depoſiti; quin & injuriarum pulſari poſſe actione, nec unam per alteram ceſſare, *l. 1. §. ſi quis tabulas 38. ff. depoſ. l. ſi quis teſtamentum 41. verſ. ſed ſi quis ff. ad L. Aquil.* Sic ſi cui factum eſt furtum, habet actionem furti & condictionem furtivam, *l. Ancillæ ſubtractæ, C. de Furt. & ſerv. corrupt.* ſed quoniam illa pœnam petit legitimam: hæc verò ipſam rem, fit ut neq; furti actio per condictionem nec condictio per furti actionem conſumatur, ſed utraque exerceri & inſtitui utiliter queat. Simile exemplum eſt, ſi colonus aliquid ex fundo ſubtraxerit; tunc & locati & furti actio utraq; ſalva manet, nec invicem confunduntur, *l. Qui ſervum 34. §. hinc de colono. 2. ff. de Oblig. & Act. l. ſi locatum tibi 42. ff. Loc. Cond.* Idem dicendum, ſi commodati depoſiti, & pignoratitia actio concurrat cum actione furti: cum omnibus bonæ fidei actionibus hoc ſit commune, ut ſi cum pœnalibus concurrant una alteram non conſumat, *l. Res communis 45. in fin. ff. pro ſoc. l. 1. §. Hunc tutorem 22. ff. de Tut. & rat. diſtrah. l. Tres tutores 55. §. ſed ſi 1. ff. de Adm. tut.*

XII.

At ſi cum mixta rei perſecutoria ambulat, intereſt, earum utra prius ſit inſtituta. Si igitur prius actum ſit miſtâ, rei perſecutoria in totum per il-

lam

lam conſumitur: ſin verò rei perſecutoria prius ſit mota, mixta tollitur eatenus, quatenus rem continet: in id verò quod ſupereſt, adhuc ſarta tecta ſervatur.

Hujus rei ratio evidens eſt: quia qui miſta egit, rem, quæ per rei perſecutoriam alias peti poſſet, jam eſt conſecutus, *l. Qui ſervum 34. ff. de Oblig. & Act.* Aliàs futurum eſſet, actori, id quod jam haberet, denuo exigendi competere facultatem: Id quod nullam habet rationem. Quocirca ſi alicui per vim res rapta & ablata eſt, competit adverſus raptorem non ſolum mixtum judicium vi bon. raptorum ſcilicet, ſed & condictio furtiva, *l. ſive manifeſtus 10. §. ſic quoq; 1. ff. de cond. furtiv. l. Prætor ait 2. §. Rerum raptarum 26. ff. vi bon. rapt.* per quam prius inſtitutam vi bon. raptorum actio in totum plane non extinguitur, ſed in id, quod in ea eſt amplius, adhuc ſupereſt. intentata verò prius vi bon. raptorum actione, condictio furtiva penitus tollitur, *argum. l. 1. ff. vi bon rapt.* Haud diſſimile exemplum eſt; ſi commodatarius damnum rei commodatæ intulerit, tunc & is duplici tenetur judicio; Legis Aquiliæ propter damnum datum; & commodati ex contractu. Illam ſi prius moverit, hæc poſterior ſtatim evaneſcit. Sin verò commodati judicium prætulerit, è Lege Aquilia poſtmodum agendo hoc minus adipiſcetur, quàm ex commodati cauſa conſecutus eſt, *l. unde quæritur 7. §. ſed ſi 1. ff. commod.* Rationem reddit JCtus Paulus *in l. Qui ſervum 34. §. Hinc Colonus 2. ff. de Oblig. & Act.* quia id quod in repetitione triginta dierum vel unius anni amplius in actione Legis Aquiliæ eſt, ultra ſimplum, quod per commodati actionem jam ſubductum eſt, accedit. Idem obtinet ſi furtiva condictio concurrat cum damni injuriæ actione: quia alterius æſtimationis eſt condictio ex cauſa furtiva: alterius damni injuriæ actio. Nam Aquilia eam complectitur æſtimationem, quanti eo anno plurimi fuit: Condictio autem ex cauſa furtiva non egreditur retrorſum judicii accipiendi tempus, *l. Nunquam plura 2. §. Idem dicendum 2. & 3. ff. de priv. del.* Sic deniq; actio de Calumniatoribus quæ eſt in quadruplum adverſus eum, qui pecuniam accepit, ut alicui per calumniam litem moveret, condictionem ob turpem cauſam o-

mnimodo extirpat: hæc verò illam ſolummodo delibat, *l. In heredem 5.§.1.ff.de calumn.* Plura exempla ejuſdem regulæ depromi poſſunt *ex l. Neratius 11.§. Quamvis autem 2.ff. de serv. corrupt. l. ſed ſi ex cauſa 47.§. ſi damnum 1.ff. pro ſoc. l. Quemadmodum 29.§. magiſtratus 7.ff. ad L. Aquil.*

XIII.

Sanè hoc eſt in comperto, quòd ſi rei perſecutoria concurrat cum mixtà arbitrariâ, ad obtinendum alterutra ſit ſufficiens.

Ita enim comparatum eſt cum arbitrariis judiciis, ut reus ad juſſum judicis ſeu arbitri rem reſtituendo pœnæ dependendæ ſe eximat, *l. Item is cum 14.§. hæc autem actio 4. ff. Quod met. cauſ.* idque ex ſingulari clementia & favore prætoris erga reos, *modo citata l. 14. §. ſi quis non 1. ff. d. t.* Cum igitur actor tantum una quantum alterà conſequatur actione, (ſi ſc. reus juſſui judicis obtemperaverit, ipſiq; nihil amplius abſit) utramvis etiam exercuerit, meritò illum una contentum eſſe oportere, juris ſua debit ratio. Hoc vel maxime perſpicuum eſſe poteſt, in actione de dolo famoſa quæ rei eſt reſtitutoria cum actione Quod metus cauſa, quæ mixta eſt arbitraria. Si igitur actor rem per doli actionem conſecutus ſit, actio quod metus cauſa ſtatim ceſſare incipit; cum id quô mixta eſt abundantior rei perſecutoria, nihil ſit aliud quàm pœna, quæ per rei reſtitutionem evitari poteſt, *l. Item ſi 14.§. in hac actione 3. ſub fin. ff. Quod met. cau.* Idem illud obtinet Quod metus cauſa actio, ſi prius inſtituta fuerit: ſive enim reus in reſtituenda re contumacem ac protervum ſe exhibuerit ſive minus; ob rei reſtitutionem per miſtam actionem factam doli actio conſumitur, *d. l. Item ſi 14.§. cum qui 13. ff. Quod met. cau.* Sed numquid actio de dolo cum aliis actionibus concurrere poterit? cùm aliàs explorati ſit juris, actioni de dolo famoſæ tum demum eſſe locum ſi nulla alia competat, quâ quis experiatur, *l. 1. ait prætor 4. ff. de dol. mal. l. 2. eod. tit.* De hac quæſtione quamvis acer ſit Doctorum conflictus, ab illorum tamen partibus nobis ſtare placuit, qui tradunt, regulariter quidem ad famoſam de dolo actionem non eſſe recurrendum, alia ſi ſuperſit, cum qua concurrat: Verùm ſi æquè famo-

famoſa & altera ſit, de dolo actionem non impediri quo minus concurrere poſſit. Idq́, ideò, quod ratio, quare cum aliis actionibus haud famoſis concurrere non valeat in eo, ſi æquè famoſa competat, ceſſet; quæ eſt; (quòd temerè actio famoſa à Prætore non ſit decernenda.) *d. l. 1. §. ait prætor 4. ff. de dol. mal.* Cùm igitur ex utraq; infamia reo irroganda veniat, parum vel nihil omninò relatum iri putamus, ex utra ipſe condemnationem patiatur: nec ullius temeritatis eo caſu Prætor ob deficientem rationem argui poterit. Tritum enim eſt illud, quod ceſſante juris ratione, ipſa juris diſpoſitio ceſſare incipiat, *argum. l. adigere 6. §. quamvis nulla 2. ff. de jur. Patron.*

XIV.

Quatenus ad perſonales pœnales attinet, omnis diſputatio in tribus vertitur diſtinctis caſibus. Advertendum enim erit, an ex uno facto, unoq; peccato, (*a*) an uno facto pluribuſve peccatis; (*b*) an verò pluribus factis pluribusq; peccatis (*c*) actiones deveniant.

(a) Veluti ſi quis furtim exciderit arbores, unô factô unum commiſſum eſt delictum, unde tamen duæ diverſæ actori naſcuntur actiones, una arborum ſurtim cæſarum; altera damni injuriæ actio, *l. ſi furtim 1. ff. Arb. furt. cæſ.*

(b) Ut ſi quis ſervo alieno, domino exinde ut injuria fieret, oculos effoderit, vel cædendo brachium confregerit, unô factô duo patrantur delicta, quorum cauſa duæ promanant actiones, una Legis Aquiliæ, altera injuriarum, *l. Qui ſervum alienum 34. in pr. ff. de Obligat. & Act.*

(c) Sic ſi quis ſervilis conditionis puerum ſubreptum caſtraverit, ac poſtea loris pedes ejus corruperit, tandemq́; è medio ſuſtulerit, ex quatuor diſtinctis factis totidemque delictis, quadruplici ſubjectus eſt judicio. Et quidem I. actioni furti ex cauſa furtiva, *l. Nunquam 2. §. item ſi quis ſin. ff. re priv. delict.* II. Injuriarum judicio, quòd puerum Evnuchum fecerit, *l. ſi ſervus ſervum 27. §. & ſi puerum 28. ff. ad L. Aquil.* III. Damni injuriæ actioni, ob nimiam flagellatio-

nem, *l. ſi vulneraverit 43. ff. Loc. Cond.* IV. Et tandem capitali judicio ex Lege Cornelia de Sicariis; quod ipſum interemerit, *§. liberum 11. Inſt. de Leg. Aquil. 9.* ſi ſcil. præter culpam & dolus acceſſerit, *l. Inde Neratius 23. §. ſi dolo ff. ad L. Aquil.*

XV.

Si igitur in una re per idem factum unum delictum ſit admiſſum, (*a*) cujus unius causâ plures competunt actiones, (*b*) quarum in una aliquid amplius ſit (*c*) quàm in alterâ, ſic habendum arbitramur, minorem actionẽ, ſi majori prius actum erit, in totum conſumi: ſin prius minori, majorem & nunc remanere (*d*)

([a]) Teſte JCto Ulpiano *in l. 1. §. Nunc tamen 2. ff. de Tut. & rat. diſtrah.* ubi egregie ſeparat & diſtingvit actiones unius facti ab actionibus diverſorum factorum; inducens exempli loco actionem tutelæ & furti pœnalem.

([b]) Quibus tamen non omnibus eſt utendum, ex eo, quod bis ejuſdem rei æſtimationem exigi, vel pœnam præſtari ſit iniquum; cum ſingulis delictis non plures ſed ſingulæ tantummodo pœnæ debeantur, *l. In Sctm. 15. §. an ad eos ... fin. ff. ad Sctm. Turpil.*

([c]) Etenim ſi par quantitas in actionibus duabus vel pluribus reperiatur; ita ut una tantum quantum altera adipiſci poſſimus, una ſolummodo actorem contentum eſſe oportere, extra controverſiam eſt.

([d]) Non quidem in ſolidum, ſed ut judex in illa poſteriori deducat id quod actor ex prima ſit conſecutus, & reum in reliquum condemnet, *l. Quoties 41. §. 1 ff. de Oblig. & Act.* Atq; eum in modum accipiendum putamus, quod ab Hermogeniano JCto traditur *in l. cum ex uno 32. ff. de Oblig. & Act.* ubi dicitur: Omnibus permitti experiri, cum ex uno delicto plures naſcuntur actiones, ſi ſolidæ illæ actiones non pari conſtent quantitate, ſed una locupletior ſit altera: *l. 1. ff. Arb. furt. cæſ.* Quocirca ſi bona alicui rapta ſint: unum delictum deſignatur, unumve eſt factum; ſed ſunt plures actiones, furti videli-

cet non

cet non manifeſti & vi bonorum raptorum, *l. ſi quis uxor. 52. §. ſi quis 31. ff. de furt.* Si igitur hac prius actum ſit, furti actio ſimul expirat; idque ideo, quod vi bonorum rapt. actioni præter rem inſit pœna quoq; tripli. *pr. Inſt. vi bon. rapt.* atq; ita gravior exiſtat furti judicio. Quod ſi verò prius inſtituta ſit hæc pœnalis furti, utpote lenior, adhuc de bonis raptis ſupereſt actio in id, quod in ea eſt amplius, reſiduum ſcil. duplum, in quo res rapta computatur. *Textus eſt expreſſus in l. 1. ff. vi bon. rapt. l. ſi quis egerit 88. ff. de furt. d. pr. Inſt. vi bon. rapt.* Similiter Publicanus ob vi abreptas res & vi bonorum rapt. & in factum de Publicanis actione vim paſſo tenetur, quarum hæc illam quoad duplum minuit; illa verò hanc in totum conſumit, *l. 1. §. & reſtituendi 4. ff. de Public.* Illud hic non prætermittendum, unam ex eodem facto ac delicto in eadem re admiſſo, pluribus ex cauſis emergentem actionem poſſe repeti, in jure haudquaquam eſſe obſcurum. Si igitur ſervó tuó graviter vulnerato, damni injuriæ actio inſtituta ſit, eo poſtea ex illo vulnere mortuo, idem judicium de occiſo exerceri poterit: propterea quia alterius æſtimationis eſt rei alicujus corruptio: alterius ejuſdem rei interitus, *arg. l. Nunquam plura 2. §. quæſitum 3. ff. de priv. del.* Quod igitur plus erit in eadem actione poſterius de occiſo inſtituta, quanti videl. obtruncatus ſervus eó annô plurimi fuerit *pr. Inſt. de L. Aquil.* dominus conſequetur, demtô tamen eô, quod propter deteriorationem ejus ex anteriori judicio acceperit. *l. ſi vulnerato 46. ad* L. *Aquil.*

XVI.

Idem juris eſt, quando ex pluribus per idem factum admiſsis delictis, plures oriuntur actiones: quia nec hoc caſu omnes ſalvantur, ſed unius intentione altera expirat: modò graviori prius fuerit actum.

Quæ ſane regula authoritate nititur JCti Pauli Legum Prudentum Coryphæi (*uti appellatur in l. ſcire oportet 13. §. aliud eſſe 2. ff. de excuſat.*) *In l. plura delict. 53. ff. de Oblig. & Act.* utentis ad hoc, argumento ab obligationibus deſumto. Sicut enim ſi ex una obligatione plu-

ne plures promanant actiones, una tantummodo non omnibus eſt utendum: ita quoque plura delicta in una re plures quidem admittunt actiones, ſed una ſolummodo experiri licebit. Quod tamen ita intelligendum eſt; niſi plus una in ſe contineat altera. Proinde ſi nondum Viripotenti ancillæ ſtuprum ſit illatum, unum quidem eſt factum ſed duo delicta, quorum ſingulorum nomine de jure certæ ſunt, conſtitutæ actiones, injuriarum nimirum propter ſtuprum & Legis Aquiliæ ob damnum datum: minimè tamen fas eſt actori, ut utraq; ſolidum conſequatur, ſed ita comparatum eſt, ut prius ſi leniori ſit actum, non prohibeamur poſtea uti & altera ad conſequendum id, quod in ea eſt amplius. Si autem prius graviorem inſtituerit, ad alteram exercendam regreſſus nullus patebit, *l. ſi ſtuprum 21. ff. de injur.* Nihil aliter eſt, ſi alienus ſervus in Domini contumeliam vapulaverit, ex uno facto, duobus tamen delictis, & Aquiliæ Legis & injuriarum actio domino competunt. Injuria enim ex affectu fit, *l. Illud relatum 3. §. Quare ſi quis fin. l. Qui injuriæ 53. ff. de furt.* damnum verò ex culpa, *l. In L. Aquilia 44. ff. ad L. Aquil. §. Ac ne u 3 Inſt. eod. tit.* Aſt, electa una, altera quoq; finietur; niſi quid pluris in una fuerit quam in alia, levioríque prius actor egerit, *l. Qui ſervum 34. in pr. ff. de Oblig. & Act.*

XVII.

Ex pluribus autem factis, plura ſi maleficia ſint deſignata, quorum ſingulis ſingulæ denominatæ ſunt actiones, omnibus experiri permittitur.

Huic intentioni ancillatur ratio; quod nunquam plura delicta concurrentia faciant, ut ullius impunitas detur. Neque enim delictum ob aliud delictum minuit pœnam, *l. Nunquam plura 2. in pr. ff. de priv. del.* Quinimò Reipubl. permagni refert, delinquentes ad pœnas ut rapiantur, ne ullum maleficium inultum relinquatur, *l. vulneratus 21. §. æſtimatio 2. ff. Ad L. Aquil. l. ſi longius 18. §. ſi filiusfam. 1. ff. de jud. l. ſi à reo 70. §. fin. ff. de fidejuſſ. l. Stichum. 91. §. quid ſi 1. ff. de ſolut. l. ſi delictis 4. §. cum Dominus 2. ff. de Nox. act. l. ſi operis publici 14. C. de Pœn.* Ex quo efficitur, quo ad hanc ſpeciem non ut in prioribus unius intentionem ſufficere, ſed quibusvis actionibus ſolidum actorem nanciſci poſ-

ſci poſſe, *l. interdum 56. in pr. ff. de Furt.* cùm ex diverſis cauſis, id eſt obligationibus ſingulæ deſcendant. Itaq; ſi eandem rem tutor in tutela gerendi abſtulerit & ſubripuerit, duo facta duæque obligationes eſſe intelliguntur, nempe furtum & mala adminiſtratio, quæ viciſſim duas diverſas & diſtinctas furti ac tutelæ progenerant actiones, nec una alterius petitione vitiatur, *l. 1. §. Hunc tamen 22. ff. Tut. ac rat. diſtr.* Haud ſecus eſt, ſi quis Stichum ſervum tuum ſpoliaverit, isq; poſtea frigoris injuria ſit mortuus. Spolians duplici tibi tenetur judicio, furti nimirum quod veſtimentis ipſum exuerit, & in factum actione, quod frigore ſit confectus, nec altera alteram ſuffocat, *l. qui ſervandarum 14. §. ſed etſi 1. ff. de præſcript. verb.* Et ſi quis feram beſtiam ibi habuerit, quà vulgo iter fit, & nocuerit beſtia tranſeunti, actio Ædilitia non tollet actionem de pauperie, *§. cæterum 1 ſub fin. Inſt. ſi quadrup. paup. feciſſe dic.* Faciunt plura ad intellectum, *l. ſi ſervus ſervum 27. ff. Ad L. Aquil. l. Nunquam plura 2. per totum ff. de priv. del. l. Interdum fur. 52. ff. de Furt.*

XVIII.

Præterea pœnalis mera cum miſtâ (*a*) concurrens, vel miſtà, cum miſtà (*b*) iisdem ſubjacent regulis, quæ de pœnalibus invicem commeantibus proximè ſunt traditæ. (*c*)

(a) Ita vi bonorum rapt. actio non perimitur per pœnalem furti non manifeſti in totum, ſed tantum quoad quid, dupli videlicet reſpectu; hæc verò per illam penitus expirat. Unum enim eſt factum & unum delictum, *l. 1. ff. vi bon. rapt.* Sin verò diverſorum factorum totidemq; delictorum ſint actiones, altera per alteram non obmuteſcit. Sic exſectis furtim arboribus, earundemq; poſtea furto facto, duæ competunt actiones: Arborũ furtim Cæſ. & furti pœnalis, quarum tamen neutra per alteram moritur, *l. Faciendo 8. §. ſi igitur 2. ff. Arb furt. Cæſ.*

(b) Ita furtim ſuccidens arbores duobus tenetur judiciis. Arborum furtim cæſ. & damni injuriæ actione. Veruntamen quoniam unum eſt factũ unumq; delictum, unde duæ exurgunt actiones, una facit altera ut ſileat. Niſi altera alteram amplitudine exuperet. Teſtem laudamus *Paulum in l. 1. ff. Arb. furt. cæſ.* Sin autem quis hominem ra-

C 4 puerit,

puerit, ac non multo tempore poſt eundem injuriâ occiderit, cum diverſa ſint facta & delicta, ac conſequenter diverſæ actiones, omnibus experiri permiſſum eſt. *Nunquam plura 2. §. Idem dicendum 4. ff. de Priv. del.*

(c) *In theſi 14. 15. 16. & 17.*

XIX.

Tandem Coronidis locô hoc addamus, quod ſi ex eodem facto ac delicto in re una admiſſo actio Civilis & Criminalis concurrant, neutra alteri præjudicium faciat, ſi ſc. utriusq; diverſus ſit finis. (*a*) Sin verò ambæ ad unum directæ ſint ſcopum, alteram extingui Juris comprobatur authoritate.

(a) *Per l. un. C. Quand. Civil. act. Crim. præjud.* Ita actio Legis Aquiliæ non obeſt Legi Corneliæ de Sicarijs; ſi ſc. ſervus dolo ſit occiſus, idq; ideò, quod illa utpote Civilis competat pro intereſſe privato, damni nimirum dati reparatione: hæc verò pro vindicta publica: ad diverſa igitur cum tendant, altera alteri nihil quicquam præjudicii creare poterit. *l. Inde Neratius 23. §. ſi dolo 3. ff. ad L. Aquil. §. Liberum 11. Inſt. eod. l. Prætor ait 2. §. hoc edicto ff. vi bon. rapt. l. In omn. 15. ff. de Accuſat.* Sic injuriarum actio dupliciter exerceri poteſt, Civiliter & criminaliter, *§. in ſummo ſciendum 10. Inſt. de Injur. l. fin. ff. eod. tit.* Verùm cum utraq; magit vindictæ, quàm pœnæ habeat perſecutionem, *l. cum emancipati filii 2. §. Emancipatus 4. ff. de collat.* atq; ita ad unum tendant finem, ſententia lata in una, parit exceptionem rei judicatæ in alia, *l. Prætor edixit 7. §. 1. ff. de Injur.*

COROLLARIA.

1.

An crimen expilatæ hæreditatis à Coherede commiſſum, cum familiæ herciſcundæ judicio concurrat? N.

2.

An actio Neg. geſt concurrat cum mixtis, vel Familiæ herciſcundæ, vel communi dividundo judicio? N.

F I N I S.